

VETERUM LATINORUM ALLITERATIO

CUM

NOSTRATIUM ALLITERATIONE

COMPARATA.

SCHRIPSIT

ANTONIUS SCHLUETER.

MONASTERII GUESTFALORUM

LITERIS COPPENRATHIANIS.

MDCCCXXX.



VETERUM LATINORUM ALITERATIO

CCM

NOSTRATUM ALITERATIONE

COMPARATA

SCRIPIT

ANTONIUS SCHLUTER.

MONASTERII GUESTFALORUM

LITTERIS COPERNICANIS

MDCCXXIX



Eorum, qui de latini sermonis alliteratione scripserunt, quantum Aug. Ferd. Naekio, quum de hac ipsa re dissertationem, et eruditionis et observationum subtilissimarum plenissimam, ante hos undecim annos scriberet ¹⁾, innotuerat, primus Ioannes Iovianus Pontanus usus est hoc vocabulo, cuius notionem his verbis explicat: ²⁾ *Fit itaque in versu, quoties dictiones continuatae vel binae vel ternae ab iisdem primis consonantibus, mutatis aliquando vocalibus, aut ab iisdem incipiunt syllabis, aut ab iisdem primis vocalibus.* Quum alliteratio saepe cum annominatione, quam Graeci *παρονομασίαν* vocant, coniuncta sit, atque in sexcentis latinorum certe poematum locis hac ipsa demum satis efficacem vim videatur habere (de qua quidem re infra aliquanto fusius disputabimus), Naekius non debebat offendi Pontano, quippe qui aliquoties annominationem dixerit, ubi de alliteratione eum cogitasse appareat. Magis miror, Gerhardum Ioannem Vossium (Isaaci patrem), cuius ea, quae toto saeculo

¹⁾ Cfr. liber, qui inscribitur: Rheinisches Museum, III. Jahrgang, 3. Heft. (1829) p. 324 — 418.

²⁾ Disputatio eius, in qua alliterationis exempla ex unius fere Virgillii carminibus sumpsit, legitur in dialogo, quem Actium inscripsit, fol. 127. b. sqq. ed. Aldinae 1519.

post Pontanum Institutionum Oratoriarum libro IV. et V. ³⁾ scripsit, ad omnem literarum apud Latinos similitudinem pertinent, dicere, *παρονομασίαν* a Pontano alliterationem vocari, quum definitio, quam disertis ille verbis dedit, multo latius pateat, quam quae ad annominationem transferri possit. —

Iam igitur, ut disputatio nostra recte procedat, prae ceteris videtur paulo accuratius explicandum, annominationis vis atque notio quae fuerit apud scriptores veteres et quatenus illa cum notione conveniat, quam eiusdem rei nostrates animo conceptam verbis aperuerint. Tum demum videamus de alliteratione.

Rhetoricorum ad C. Herennium incertus auctor, qui (l. IV. c. 21.) annominationem dicit esse, quum ad idem verbum et ad idem nomen accedatur commutatione unius literae aut literarum aut ad res dissimiles similia verba accommodentur, praeter alia minus luculenta annominationis exempla, haec habet: *Hunc avium dulcedo ducit ad avium*, et: *Hic sibi posset temperare, si amori mallet obtemperare*, et: *Si lenones vitasset, tanquam leones; vitae se tradidisset*. — Ciceronis (de oratore l. II. c. 63.) verba haec sunt: „Alterum genus est, quod habet parvam verbi immutationem, quod in litera positum, Graeci vocant *παρονομασίαν*, ut *Nobiliorem, mobiliorem* Cato;“ — quod quo sensu dictum sit a Catone Censorio, ex alio Ciceronis loco (Tuscul. Disp. l. I. c. 2.) suspicor, ubi de oratione Catonis quadam sermonem facit, in qua obiecerit ille ut probrium M. Nobiliori, quod is in provinciam poëtas duxisset. — Statim placet apponere Rutilii Lupi locum (de figuris sententiarum

³⁾ lib. IV. c. 2. 3. 4.; lib. V. c. 5. mem. 3.

et elocutionis l. I. c. 3.), qui Catonis dictum illud in memoriam reducit. Rutilius enim Lupus, postquam hanc paronomasiae definitionem dedit: „Hoc aut addenda aut demenda aut mutanda aut porrigenda aut contrahenda litera aut syllaba consuevit,“ quibus verbis, quam vim habeat annominatio, eum nequaquam indicasse vides, exemplum hocce profert: *Non enim decet hominem, genere nobilem, mobilem videri.* — Aquila Romanus (de figuris sent. et eloc. libro, §. 28.): „Haec,“ inquit, „figura ita ornat orationem, ut in nomine aut in verbo, interdum syllaba, nonnunquam litera, immutata, diversa significet, ut si velis sic enuntiare: *Praetor iste, vel potius praedo sociorum.* Jam vero, quoniam rhetorum trias, qui de figuris sententiarum et elocutionis, Rutilius Lupus ante, alteri duo post Quintilianum, scripserunt, non dissocianda videtur, Julii Rufiniani quoque mentionem faciam, qui obscurius tantum vim paronomasiae indicat, quum (de schematis lexeos §. 14)⁴⁾ his solis utatur verbis: Paronomasia est secundum verbum positio alterius, ipso poscente sensu, ut apud Terentium (Andria, I. 3, 13.):

⁴⁾ Hoc Rufiniani (sive alius quidam scriptor anonymus auctor est; librarii enim cum auctoris nomen non adiectum reperissent, Iulii Rufiniani, cuius sine dubio de figuris sententiarum et elocutionis liber est, nomen ad hoc quoque opusculum videntur traduxisse) hoc igitur libello XLII orationis schemata unius fere Virgilii exemplis explicantur; nam praeter CXXVI huius poetae exempla tria apponuntur Terentii, singula Horatii, Persii, Plauti, Ovidii. — Millies viri docti, quum verborum elegantias formulasque loquendi quaerent, Virgilii carmina, quorum praecipua quaedam virtus in elocutione cernitur, diligentissime et tuberrimo cum fructu pervolutarunt. Hoc loco satis est, ad Pontanum respicere.

Nam inceptio est amentium, haud amantium. et (Heautontimorumenos, I. 3, 15.)

Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.

Aliter (Virg. Aen. I. 399.): *Puppaeque tuae, pubesque tuorum.*

In his, quos exscripsi, veterum scriptorum locis quum aut nulla fere sit alliteratio, aut ea, quae vix auribus percipiatur, non nemo, opinor, quae annominationis cum alliteratione cognatio sit, non satis se intelligere fatebitur. Multo magis haec apparet cognatio in his, quae Diomedes (de oratione, partibus orationis et vario rhetorum genere, libro II. 441) commemorat, quaeque ipse ad paronomasiam refert: *fugam fugit, factum facit, pugna pugnata est.* Non satis recte Diomedem fecisse, Naekius ait, quippe qui veluti *factum facere* tum demum paronomasiam esse putat, si qua legatur cum acumine, ut *actum agere* de labore, qui frustra est. Eiusdem generis plura Naekius attulit exempla e Plauto suo ⁵⁾, ut *nota noscere, doctum docere, perdita perdidit me* ⁶⁾, et Ciceronis ⁷⁾ *perditum perdere.* Neque aliud quoddam genus verborum compositionis recte ad paronomasiam referri censet; cuius generis haec sunt: *miserrima miseria, Bacchae bacchanti, ops opulenta,*

⁵⁾ „e Plauto suo.“ Naekius enim pag. 328: Exempla, inquit, ex antiquioribus petemus, maxime e Plauto, qui et antiquitate sua gravior testis, et tot reliquit fabulas, ut si quem in omnibus constantem usum deprehendas, eum non fortuitum consensum esse certum sit.

⁶⁾ Miles gloriosus, III. 1, 42. Poenulus, IV. 2, 58. Cistellaria, IV. 2, 18.

⁷⁾ Epist. ad Terent. XIV. 1, 12.

pretio pretioso, suavis suaviatio,⁸⁾ „Melius, inquit, eo retuleris illa: *sepultura insepulta, innuptis nuptiis, numeri innumeri, iniusta iusta*. Acumen enim in his manifestum inest.“⁹⁾ Sed haec sufficient, ne nimius sim in exscribendis locis ab altero collectis, et omnino, quamquam nonnulla tantum e mole exemplorum, quam Naekius ex uno Plauto conguessit, delibavi, haec sufficiunt, ut intelligas, quaecunque rhetorum antiquorum sit annominationis definitio, id genus annominationis, quod unum fere nostrates definitione sua videntur amplecti, veteribus nequaquam ignotum fuisse, neque non aut oratione soluta aut metri vinculis adstricta expressum.

Perelegantem habemus librum Caspari Poggel, quo vir ille iuvenis, praematura et tristissima morte nobis ereptus, polito subtilique iudicio artem, quae in verborum concentu versatur, velut primis lineis designavit, ita quidem, ut ad comprobanda artis praecepta Goethëi potissimum auctoritate uteretur. Poggelius igitur, quum de annominatione dicendum esset, haec profert:¹⁰⁾ „Sie

⁸⁾ Amphitruo, II. 4, 43. ibid. II. 2, 71. Cistell. II. 4, 39. Epidicus, I. 2, 17. Bacchides, I. 2, 8 et 12.

⁹⁾ Non equidem perperam de Naekio iudicaverim, quum tam constantem illum in observanda videam lege, quam rhetores antiqui fere omnes statuerunt, ut proprie annominatio sit dicenda, ubi inter se opponantur verba. Sed hac lege ad poetarum locos transferenda velim minus severum illum fuisse; nam etsi in locis supra excriptis: *nota noscere . . . et miserrima miseria* oppositionem non inesse fatendum sit, multos tamen puto acumen in illis quoddam satis grave esse cognituros.

¹⁰⁾ Grundzuege einer Theorie des Reimes und der Gleichklaenge mit besonderer Ruecksicht auf Goethe. Ein Versuch von Casp. Poggel. (Recklinghausen 1834) pag. 27.

besteht in der Verbindung solcher Woerter miteinander, welche gleichem Stamme zugehoeren und daher auch assoniren und alliteriren. Die Uebereinstimmung der Vorstellungen, welche durch die aehnlich toenenden Woerter bezeichnet werden, die bei Assonanz und Alliteration bloss als Vorzug und wuenschenswerth erschien, stellt sich nun bei der Annomination, ihrem Begriffe gemass, von selbst ein. Dadurch gewinnt diese Figur einen Vorzug vor den genannten zwei. — Praeter Klopstockii notissimum illud: *Die Stille ward stiller* et Goethëi illud: *Gar schoene 'Spiele spiel' ich mit dir*, plura et ampliora et perquam venusta Poggelius affert exempla, e quibus unum hoc loco proponere liceat.

*Wenn ich still die Augen lenke
Auf die abendliche Stille,
Und nur denke, dass ich denke,
Will nicht ruhen mir der Wille,
Bis ich sie in Ruhe senke.*

Hos Tiekii versus qui attento animo in aures receperit, vix, puto, fieri posse, quin sentiat, poëtam vi quidem lenissima sed tamen efficaciter, quod intelligi voluerit, in conspectum quasi protulisse. — Unum etiam, alio loco a me repertum, Io. Henr. Vossii exemplum, vitandi potius, quam imitandi gratia, appono:

Schreibend schreibt er im Schreiben geschriebene Schriften der Schreiber.

In quo quum annominatio nimium frequens non oblata videatur, sed captata, non cum sententia quasi nata, sed, ut rei per se non satis gravi, grande afferetur pondus, arcessita, minus illa, quamquam voluptatis causa et per lusum facta, placet — copia abundante. Eiusdem generis hoc distichon est, in quo quid tribuendum

sit annominationi, ipse poëta, Ioannes Baggesen videtur indicasse, quum illud *Caspariade* inscriberet:

Immer liebere, liebste Liebe! je mehr du die Liebe

Liebst, je mehr liebt dich dein lieblich liebender Liebling.

Haec hactenus. Satis opinor esse expositum, vix et ne vix quidem fieri posse, ut annominationem, praesertim si concesseris, eam huic voci subiici sententiam, de qua nostrates cum veteribus conveniunt, sine alliteratione invenias, quam ego eodem sensu dici volo, quo Pontanus alliterationem dixit; neque iam vereor, ne cuiquam videar vituperandus, quum supra contenderim, Gerh. Io. Vossium non satis circumspecte ac diligenter Pontano exprobrasse, quod alliterationem dixisset pro annominatione. Sed ea, quae Vossius, quum in quaestione, quae de Similibus est, versaretur, pertractanda sibi sumsit, ¹¹⁾ eiusmodi sunt, ut paululum in proponendis iis atque expendendis commoraturus non a re proposita deflectere mihi videar. Schematum enim, quae dicit, in quibus similitudo spectetur, quatuor affert genera: ¹²⁾ *παρονομασίαν, ὁμοιοκατάληκτον, πάρισον, παρήχησιν*; quorum quidem primum nunc mittendum esse censeo. *Ὅμοιοκατάληκτον* est ei, „cum voces similiter desinunt,“ eiusque duas statuit species: *ὁμοιόπτωτον*, similiter cadens i. e. eisdem casus in nominibus, ea-

¹¹⁾ Non ipsi mihi Gerh. Io. Vossii institutiones oratorias inspicere licuit; sed eos qui scire cupiant, unde hanc notitiam hauserim, ad Cadenbachii dissertationem delegeo, quam ille, ad indicenda solemnia scholae Essendiensis anno 1837, de alliterationis apud Horatium usu scripsit.

¹²⁾ Vide Cadenbachii diss., pg. 4.

dem tempora in verbis requirens, et *ὁμοιοτέλευτον*, similiter desinens, i. e. similem terminationis sonum reddens.¹³⁾ Exempla satis luculenta Cicero praebet Tuscul. Disp. I. I. c. 28, §. 69 et c. 35, §. 85. *Πάρισον* Vossius esse dicit, „quum idem usurpetur verbum, variatum praepositionibus aut nominibus appositis“. Sed hoc Vossio nihil nisi paronomasiae species esse debebat, quippe quam his verbis definierat: „quae aliam efficit sententiam elementi unius pluriumve adiectione, detractioe, transpositione vel imitatione.“ *Παρήχησις* denique ei est, „quum una pluresve syllabae eius vocis,

¹³⁾ Quintilianus, qui et ipse (instit. orat. IX. 3, 75.) Similium quadruplicem rationem esse dicit, omitta annominatione, quam prius seorsim tractavit, haec quatuor genera constituit: *πάρισον*, *ὁμοιοτέλευτον*, *ὁμοιοπτώτων*, *ἰσοκώλον*; minus accurate, ut videtur, unius *τῶν ὁμοιοκαταλήκτων* generis, quod et ipso alterius speciei nomine *ὁμοιοτέλευτον* appellari solet, duas species tanquam duo genera peculiariter proponens. Quartum genus, *τῶν ἰσοκώλων*, melius inter figuras sententiarum quam elocutionis posuisset; causam enim, cur inter elocutionis figuras poneretur, hanc solam esse, quod cum *ὁμοιοπτῶτι* et *ὁμοιοτελεύτῳ* coniunctum esse soleat, ipsa Quintiliani exempla docent; quorum alterum hoc est: *Si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque iudiciis impudentia valeret.*

Hoc loco facere non possum, quin uno, quod Cadenbachius, nescio unde sumtum, (pag. 21) habet, exemplo demonstrarem, usum schematis, quod *ἰσοκώλον* vocant, coniuncti illius cum *ὁμοιοτελεύτῳ* in lusum plane ineptum abiisse atque in ipsam ecclesiam et ad nostra tempora tales ludos esse propagatos. (Cfr. Noltenii lexic. antibarb. pag. 1618.) Ecce, hoc est:

*Quos anguis dirus tristi mulcedine pavit,
Hos sanguis mirus Christi dulcedine lavit.*

quae antecessit, vel continue, vel exiguo post intervallo repetuntur in alia voce; e. g. *Perire me malis malim modis.* (Plaut).“

Iam si in alliterationis definitionem, quam Pontani esse statim in fronte huius libelli significavi, oculos iterum conicere voveris, mecum te putaverim miraturum, qui fieri potuerit, ut G. Io. Vossius Pontani alliterationem cum annominatione sua, neque potius cum parechesi composuerit, cui illam multo magis affinem esse facile intelligitur.

Naekius quamque similitudinem, quae cernitur in eiusdem litterae, sive vocalis sive consonantis, totarumque syllabarum repetitione, alliterationem vocat, et quatuor statuit genera, quum fiat alliteratio:

I. Primis litteris, primis syllabis.

II. In una postrema et altera prima syllaba.

III. In mediis vocibus.

IV. In postremis syllabis, quod homoeoteleuton dici solet.

Deinde se discernere profitetur (pag. 328) simplicem, quam vocat, alliterationem, eam igitur, quae sola earundem aut literarum aut syllabarum repetitione facta est, quaeque, non adiuncto altero artificio, ipsa illa repetitione „ad percutiendas aures“ vim habet, ab alliteratione coniuncta illa cum alio quodam sermonis artificio. Itaque segregare voluit atque excludere a disputatione sua annominationis sive paronomasiae exempla eaque omnia, in quibus verborum sive eorundem sive cognatorum consociatio observetur. Et recte ita fecit, nimirum ut legentium mens atque cogitatio ad ipsam alliterationis vim contineretur animadvertendam.

Iam vero ut de ratione, qua Naekius usus est, quum eas, quas modo enumeravimus, verborum similitudines uno alliterationis nomine complecteretur, recte et ordine iudicemus, quaerendum est, num, tam longe patentem voci nostrae significationem tribuendi, alicunde illi auctoritas facta sit. Veterum latinorum loquendi usum nequaquam poterat auctorem afferre; illis enim alliteratio verbum plane ignotum est, neque dici potest, ullius verbi latini notionem accurate et omnino respondere notioni, quam alliteratio amplectitur. Hoc enim vocabulum, ad novam sermonis artificii cuiusdam, quod cum ipsa aevi medii poësi natum est, notionem significandam, tanquam peculiare et proprium esse formatum scimus. Itaque si quis ex nostris hominibus uti velit hoc vocabulo, alliteratione, is, ne mero arbitrato suo facere videatur, eundem verbo tribuat oportet sensum, quo illud ex omni tempore usque ad hunc diem dici et accipi solitum est. Hoc loco ante cetera repetenda est Pontani definitio: *Fit itaque in versu, quoties dictiones continuatae vel binae vel ternae ab iisdem primis consonantibus, mutatis aliquando vocalibus aut ab iisdem incipiunt syllabis, aut ab iisdem primis vocalibus.* Haec enim ad verbum fere cum alliterationis definitione convenit, quam Poggelius dedit: „Alliteration nennt man die Aufeinanderfolge solcher Woerter, die gleichlautende Anfangsconsonanten, auch wol gleiche Anfangssyllben haben; z. B. *Fuerst und Volk, Mann und Maus, Namen nennen dich nicht.*“ Sed apud Pontanum in fine additum vides: „aut ab iisdem primis vocalibus“; id quod Poggelio omittere placuit; placuit, inquam; nam, nisi fallor, sciens ac prudens omisit, quippe qui alliterationem, qualis illa apud nostrae aetatis poëtas inveniri solet, in opusculo suo tractare

sibi proposuisset. Hodie enim poëtae in adhibenda alliteratione hanc sibi legem statuerunt, ut concentum, qui in iisdem primis vocalibus est, omnino negligenter; aevi autem medii poëtae, vocalium in primis syllabis concentus ut studiose diligenterque devitaretur, certa lege praeceperunt, sed eadem praescripserunt, ut, si alterius versus certo loco verbum a litera vocali incipiens legeretur, respondens in altero versu verbum ne literam consonantem sed vocalem, quae vero ab illa diversa esset, in fronte haberet¹⁴⁾. Usus igitur loquendi,

¹⁴⁾ Ludovicus Ettmueller in praefatione ad carminum, quae Edda Saemundiana continentur, de Nibelungis versionem suam ex Erasmi Christiani Rask editione suecica grammaticae islandicae, in nostram linguam a Theophilo Christiano Frederico Mohrike translatae, Islandorum de versibus componendis praecepta, quatenus illa ad carmina a se translata pertinerent, tradenda putavit; e quibus ego ea, quae alliterationem spectant, hoc loco breviter exponenda duxi, ita quidem, ut quae libro laudato (pag. IX sqq.) fusius disputata sunt, a me contraherentur.

„Hinsichtlich der Metrik ist zu merken, dass in den altnordischen Dichtungen die Fuesse der Verse nicht gemessen werden, wie dies bei den Griechen und Roemern Statt findet. Man hat demnach bei jedem einzelnen Verse nur zu sehen: 1. auf die Anzahl der Hebungen, 2. auf den Stabreim (Alliteration) und 3. auf die Strophen. — — — In Betreff des Stabreimes, des Wesentlichsten in der altnordischen Dichtkunst, beachte man Folgendes: In zusammengehörenden Zeilen müssen drei Wörter vorkommen, die mit denselben Buchstaben anfangen. Von diesen drei Wörtern finden zwei in der ersten, das dritte in der zweiten Zeile ihre Stelle. Diese übereinstimmenden Anlaute heißen Reimstaebe oder Reimstaben, und der in der zweiten Zeile befindliche heisst der Hauptstab, weil er als der herrschende, bestimmende, angesehen wird. Die zwei in der ersten Zeile ste-

egregius ille magister, satis, si quid video, docet, certis iisdemque angustis alliterationis notionem finibus esse circumscribendam, neque quemquam, sive de nostra Germanorum aut aevi medii aut ipsius recentioris aetatis poësi, sive de antiquorum Romanorum carminibus quaestionem instituerit, extra fines illos egredi licere. Itaque, sicut, duo illa concentuum genera, quae apud nostrates Stabreim et Endreim vocantur, uno alliterationis nomine complecti,

henden Reimstaben heissen Beistaben oder Stuetzen. — Haeufig finden sich, zumal in kuerzeren Verszeilen, auch nur zwei Reimstaben im Reimpaare, von denen dann jeder Zeile einer zukommt. — Saemtliche Reimstaben muessen sich immer in Sylben finden, die den Hochtton haben. — — Begiant das Reimwort der zweiten Zeile mit einem Vocale, so muessen auch die Reimwoerter der ersten Zeile Vocalanlaut haben. Doch tritt hierbei eine der Regel bei dem Consonantenreim entgegengesetzte Regel ein, naemlich: die drei Vocale muessen verschiedene sein. Dem gleichen Gesetze sind die Doppellaute unterworfen, mit dem einfachen Laute aber kann jeder Doppellaute stabreimend verbunden werden.“

Ut hasce regulas sub adspcetum quasi subiicerem, tres exscripsi strophas carminis, quod Ludovicus Ettmueller, a se ipso contextum, libro suo praeposuit.

<i>Fremd erklingt uns</i>	<i>So höre denn</i>	<i>So des Kampfes</i>
<i>Des frühern Nordlands</i>	<i>Die heil'ge Sage —</i>	<i>Kühnheit reizten,</i>
<i>Leichtbeschwingte</i>	<i>Der Süden giebt</i>	<i>So der Weisheit</i>
<i>Liederweise,</i>	<i>Die sich're Kunde —</i>	<i>Weihe sangen,</i>
<i>Uns, deren Ohr</i>	<i>Warum der Urzeit</i>	<i>So des Lebens</i>
<i>Seit alten Tagen</i>	<i>Edle Skalden</i>	<i>Lust erhuben,</i>
<i>Dem süssen Klange</i>	<i>So des Liedes</i>	<i>So der Herzen</i>
<i>Des Südens lauschte.</i>	<i>Laute fügten,</i>	<i>Harm beklagten.</i>

quamvis hoc vocabulum cum illo, Stabreim, idem declarare atque duo illa, Stabreim et Endreim, affinitatis atque etiam cognationis quodam vinculo inter se esse coniuncta manifestum sit, nemini concessum iri confido, ita libere fateor, me nunquam sententiae accessurum esse Naekii, qui homoeoteleuton cum alliteratione, quae in primis literis et syllabis est, uno nomine esse comprehendendam putavit; neque dubitationem mihi iniiciunt Cadenbachius atque Wolfius,¹⁵⁾ quorum uterque Naekium sequitur. — Omnem igitur de sermonis latini homoeoteleuto quaestionem a disputatione mea segregandam esse duxi, quam peculiaris alterius pertractationis materiam apte sibi sumserit, qui illud cum verborum similiter desinentium apud recentioris aetatis poëtas usu componere voluerit. — De alliteratione, quae sive in una postrema et altera prima syllaba, sive in mediis vocibus fiat, quid sentiam, infra paucis significabo.

Nunc finibus constitutis angustioribus, quibus alliterationis notionem esse circumscribendam censui, recte mihi videor ad tractandos duos potissimum locos transire, quorum alter est de alliterationis apud Latinos usu, alter de illius vi et efficacia.

Quod ad usum adinet, in sermone latino adeo frequens ille apparet, ut ipsam linguam ad alliterationes effingendas mirum in modum fuisse facilem vix cuiquam effugere possit. Itaque quotquot dictiones, quas in sermone quotidiano, domestico, occurrere consuevisse, quas ad communem vitae consuetudinem spectasse

¹⁵⁾ God. Aug. Ben. Wolfium, solemnia scholae Portensis a. 1836 indicaturum, in Prolegomenis ad Plauti Aululariam in explicanda re nostra versatum esse (a pag. 36 usque ad finem, pag. 43), Cadenbachius me docet.

scimus, ad nostra tempora pervenerunt, omnes fere illae alliterationem ostendunt, et vix ullum videntur Latini proverbium habuisse, quod non alliterationis ope expressum esset; ita Romanorum aures alliterationis lusu assuetas et ora assueta fuisse putandum est. Quid mirum igitur, comicos poëtas, apud quos Cicero (orat. 20.), nisi quod versiculi sint, nihil esse aliud quotidiani dissimile sermonis ait, paene refertos esse locutionibus per alliterationem factis. — „Apud Comicos, Plautum maxime,“ Naekius inquit (pag. 333.), „tanto exempla numero, nullum ut finem invenias enumerando.“ — Quid mirum porro, quod alliterationis exempla etiam Tragici habent, at multa rariora quam Comici, quod alliteratio multa quidem apud Epicos, ut apud Virgilium atque Lucretium, at non tam frequens vel immodica, quam apud Comicos. Atque quum scriptores cuiuscunque generis omnes in sermone vulgari communem dicendi fontem, eumque alliterationis uberrimum haberent, quis non vel prius, quam ad investiganda exempla libros pervolunt, suspicabitur, ubique se aliqua alliterationis vestigia esse inventurum. Et sic vere res se habet. Nam nusquam desunt; sed quo magis scribendi genus, in quo quisque versatur, sermoni vulgari affine est, eo frequentiore in genere quoque alliterationis usum videbis fuisse; aliquanto saepius occurrunt eiusmodi exempla in genere oratorio (Naekius, pag. 408 sq., e Ciceronis oratione pro S. Roscio Amerino habita exemplorum haud parvum numerum collegit); rariora in historico et philosophico. Ac si propter cognoscendum poëtarum latinorum alliterationis usum ipsa poëseos genera inter se composueris, carmina lyrica, quae vocantur, tanquam remotiora a sermone vulgari, naturali illa quadam Romano-

rum ad effingendas alliterationes propensione minus quam cetera esse affecta et sponte coniecero et carminibus ipsis paulo accuratius examinatis animadvertes.

Quum vero de causa, unde Latinorum ille alliterationis amor videretur natus esse, cogitationem suscepissem, vix me fateor aliquo modo dubitasse, quin recte duplicem istam significarem. Quae-siverunt Latini alliterationem, quum ab illa per ipsam latinae linguae naturam sponte nata et sine iterationis studio iterata aures modo leniter modo acute et durius feriri sensissent; qua ex re maiorem quandam oblectationem sibi existere observarent necesse fuit, quoties vim habere alliteratio ad sententiam videretur. Inde si quis studium quoddam alliterationis ortum esse Latinis contenderit, non obversabor; verum mox tali studio destitissent, nisi ipsa linguae latinae natura illud adiuvari vidissent. Itaque ut tribus verbis complectar: nullus alliterationis amor fuisset sine alliterationibus ultro oblati; nullum studium, nulla cupiditas sine linguae ad effingendas alliterationes facilitate; denique non tanta facta esset in literis latinis alliterationum frequentia sine amore et studio.

Hoc loco quarundam linguae latinae proprietatum libet mentionem facere, quibus illa non solum a nostra omnino differt, sed etiam praecipue alliterationis uberiores praebere materiam videtur. Primum enim cogito de verborum coniunctionibus quibusdam, quae cuius generis sint, exemplis significare malo, quam generali explicatione definire: *manus manum lavat; aliud aliis videtur; alius aliter, alibi, aliunde; alter alterum amat; qui quum; quod quum; quid quod; et, et; aut, aut; neque, neque; sive, sive; maxima minima; non nemo, nullus, nunquam, nusquam; nemo non, nullus non, cett.*; haec si in linguam nostram converteris, nullam habebis

alliterationem; — deinde cogito de innumeris illis alliterationibus, quae per syllabas verbo nativo sive primitivo praefixas fieri solent, praesertim quum harum syllabarum plures quaeque ab eadem litera incipiant: *a, ab, abs, ante, amb; contra, con; de, dii; e, ex; in, inter, intra (intro); per, post, praeter, prae, pro; sub, super, supra, subter*; quarum particularum uni et alteri duplex aut triplex potestas est: *de, con, in, per* (vocalorum, quibus particulae *de* et *con* praefixae sunt, indices plus *CM* et *MDC* habent; nolui ceteris quoque accuratius numerandis tempus terere); atque huc pertinet etiam illorum verborum, quae vocatur, constructio; — denique in mentem venit, huius generis linguae latinae particulas cum iisdem nostrae componere, quum omnes illae sententiae partem ipsae contineant, nostratum autem multae omni vi propria careant: *be, er, ver, zer, ent*; sed plurimum momenti hoc loco *ge* syllaba habet, cuius frequens in nominibus derivandis, longe frequentissimus in formandis participiis usus. — Plura de hac materia dicerem, nisi haec viderentur sufficere.

Iam quum ad alterum locum, qui est de alliterationis vi et efficacia, transgressurus sim, hac utar ratione, ut praemissae Naekii de hac re sententiae meam adiungam. „Vim quod attinet,“ Naekius ait, „cavendum est ante omnia, ne quis in secundo primarium et in effectu, quam alliteratio saepe habet, causam finemque quaerat alliterationis. Secundarium dico, quod saepe vim habere alliteratio ad sententiam videtur, dum illa notat et quasi acuit voces, quae sunt, ut paulo ante dicebam, in appositione vel oppositione. Scilicet non nego hunc esse aliquem alliterationis usum; — hoc nego, eam vim esse alliterationis primariam. — — Igitur alliteratio per se tota ad delectationem referenda est

aurium.“ — Hanc viri doctissimi sententiam neque totam assensu meo excipere neque simplici improbatione illam reiicere possum. Distinctione opus est. — Primum quod ad veterum Latinorum alliterationem attinet, non nego a vero esse aversum, qui putet, ipsam illius originem in effectu, quem statim cum prima fortuito facta alliteratione observaverint vel adeo ante auditam illam praesagierint, esse quaerendam; sed ipsos homines e plebe, rudes quidem illos literarum et altiore animi ingeniique cultu expertes, tum demum oblectatos esse alliteratione, quum ipsis ad sententiam verbis acute et insigniter exprimendam alliteratio toties vim habere videretur, quoties verbis, quae significantia a rhetoribus vocantur, efficeretur, firmiter persuasum habeo. Itaque contendo, alliterationem, quam Naekius bene simplicem vocat, non coniunctam illam cum annominatione, duntaxat, quatenus ad dicti cuiusque gravitatem pertineret, sensui populari se commendasse atque in sermonem vulgarem esse receptam. Iam vero propter illam, de qua supra diximus, latinae linguae ad effingendas alliterationes facilitatem saepius, quam loquentes vellent aut certe cuperent, verba alliterantia ex ore loquentium exciderunt; sed tantum abest, ut singula quaeque auribus suaviter blandirentur, ut ne sub sensum quidem pleraque omnia caderent. Sed quum alliterationibus et simplicibus illis, quando verbis gravioribus continuo sequentibus efficerentur, et cum annominatione coniunctis, quod hac ipsa plus ponderis haberent, in dies saepius cum voluptate auditis aures hominem ad percipiendum istum literarum lusum magis acuerentur, alliterationis cupiditas quaedam sensim homines incessit, unde factum est, ut cupide arriperent verba, quibus illa aurium per repetitas easdem literas oblectatio quam saepissime pareretur. Ex hac quam dixi alliterati-

onis cupiditate nata esse puto illa apud Comicos alliterationis exempla, in quibus bina, terna, quaterna, quina, denique sena verba ab iisdem literis incipientia continuo sequuntur, quin verborum concentus aut singulorum verborum significationi aut toti, quae illis continetur, sententiae apte respondeat; eadem vero cupiditate, sive, ut rectius dicam, sermonem alliterationis quasi condimento ornandi studio ducti poëtae, imprimis comici, multas aut in communi vitae consuetudine usitatas aut ab ipsis consulto et data opera factas alliterationes versibus suis immiscuerunt, quae, quum vi, quam ad sententiam aut significantius aut pulchrius exprimendam haberent, commendarentur, audientibus Romanis, opinor, magis, quam inanes illae, placebant, et nobis legentibus magis placent. — Igitur alliterationem per se ad delectationem referendam esse aurium, ego cum Naekio volo; sed non totam; neque hanc eius vim volo haberi primariam sed secundariam.

Aliter res se habet in nostratium poëmatibus. In iis duplex est alliterationis usus. Aut enim illâ poëtae per tota vel longissima carmina hoc modo utuntur, ut duo quique versus deinceps positi alliterationis vinculo inter se coniungantur (exemplum praebet carmen Ettmuelleri, pag. 14), aut paucos versus, quibus sive longioris carminis pars quaedam sive totum poëmatium aliquod continetur, alliteratione sic ornant, ut verbo, quod notionem primariam complectitur, quam plurima adiungantur verba, ab eadem cum illo litera incipientia. Quod ad primum adinet, ipsa concentuum illorum quamvis exilium nunquam intermissa repetitione audientium aures sensim magis feriri easque saepe, praesertim ubi literarum ad artis formulam iusto ordine redeuntium cum verborum sententia aliquo modo videatur convenire, alliteratione valde oblectari, facile intelli-

gent, quicumque in eiusmodi carminum, alliterationibus quasi intextorum, familiaritatem quandam se applicare voluerint. — De altero, quem modo significavi, alliterationis usu id prae ceteris monendum esse censeo, quod, si quis poëta in hoc genere aliquid boni et praeclari cupiat praestare, ad singularum literarum virtutem et efficaciam diligenter animum attendere debeat; quae res quidem a nostratibus nonnunquam belle observata est, a Latinis veteribus semper fere neglecta. ¹⁶⁾ — Satis iam me puto dixisse, ut appareat,

¹⁶⁾ Hanc materiam fusius et polito sane iudicio Maximilianus Goetzinger tractavit in libro suo: „Die deutsche Sprache“; partis prioris sectione quarta, a pag. 237 usque ad pag. 262. — Exemplum aliquod, quo iterum ac saepius lecto penitus intelligere possis, quaenam huius sit vis alliterationis, nolo omittere. Itaque hoc propono:

Wonne weht von Thal und Huegel,

Weht von Flur und Wiesenplan,

Weht vom glatten Wasserspiegel!

Wonne weht mit weichem Fluegel

Des Piloten Wange an.

Sed iuvabit Poggelium huius Buergeri carminis interpretem audire, quum, quae de causa et fine alliterationis hoc loco ille commentatus est, ad similia quaeque et ad totum hoc alliterationis genus transferenda sint. — „Wenn der Redende eine lebhafte Vorstellung, die ihn bedeutend bewegt, sinnlich darstellen will, so sucht er zum ersten ein Wort, das seinen Eindruck mit moeglichster Treue und Staerke malt. Als Buerger z. B. die Seligkeit seines Zustandes schildern wollte, so griff er nach dem vollen angemessenen Wortlaute Wonne. Von jedem Worte, was nun ferner hinzugefuegt wird, um die Hauptvorstellung herauszuheben, wuenscht der Sprechende auch, dass es dem Wortlaute, womit er die Hauptvorstellung bezeichnet hat, aehnlich klinge. Denn der Eindruck, der sich in ihm bewegt und der sich mit je-

nostrates alliterationis vim primariam quidem in aurium posuisse delectatione, ita tamen, ut delectationem istam in altum animi descendere cuperent. At vero mihi persuasum est, nostros poëtas pulchri venustique sensum multo magis semper in effingendis alliterationibus secutos esse ducem, quam Latini unquam sive voluerunt sive potuerunt. Poëtae latini hac in re sermonis vulgaris fuerunt imitatores; nostrates elegantius quiddam et altioris plenum artis elaborant, atque eum, quem alliterationis in communi vitae consuetudine apud nos usum esse vident, omnino fere negligunt; verborum enim compositiones, quales sunt: *Schimpf und Schande, Leib und Leben, Hoffen und Harren, Stumpf und Stiel, Wind und Wetter, Sammt und Seide, sich placken und plagen, mit Zittern und Zagen, in Worten und Werken, nicht ruhen noch rasten, nicht weichen noch wanken*, et quae sunt generis eiusdem, sermoni quotidiano, domestico, relinquunt, nisi forte comicus aliquis aut popularis poëta vulgi causa imitandi ista arripiat. Ac si mihi concesseris, ut alliterationem crassiorem distinguam et tenuiorem, paucis rem absolvam. Illam noverunt veteres Latini, illaque diligenter usi sunt,

dem Worte auf die sinnlich gleichgeltendste Weise darstellen moechte, wachrt fort, muss also auch fortwaehrend Laute hervorzubringen suchen, die sich aehnlich bewegen. Stehen also fuer die hinzuzufuegenden Worte solehe Klaenge zu Gebote, welche dem Hauptklange aehneln, so muss sie der Sprechende begierig ergreifen. Indem Buerger von der Wonne seines Zustandes singt, fuehrt er solche Zeit- und Beiwoerter in seine Schilderung, die im Klange dem Worte Wonne gleichen; Sie fangen mit dem Buchstaben W an, haben daher etwas von dem weichen, reinen, Hauche und Klange, womit das Wort Wonne an unser Ohr toent. Dadurch gewinnen nun die saemtlichen Verse, womit er die Wonne darstellt, einen aehnlich suessen Hauch, als das Wort der Hauptvorstellung selbst. Vorstellung und Klang wirken lange und vereint auf unsere Sinne und beruehren uns imiger und harmonischer.“ —

ubi commode adhibenda erat; neque secus aliquoties nostri faciunt poëtae; tenuiorem eandemque subtiliorem et pulcбриorem nostrates invenerunt, eâque, tanquam floribus, conperserunt id genus poësis, quod apud Latinos paene destitutum videmus alliteratione, — altissimum et subtilissimum, lyricum dico. ¹⁷⁾

Iam, post quam in universum significavi, quae mea de veterum Latinorum alliteratione sententia sit; quantumque illa et per se ipsa et cum nostratium alliteratione comparata mihi quidem videatur valere, restat ut accuratius dicam, quas tandem alliterationes eas esse putem, quae vim ad sententiam habeant, quas contra, quod illa vi aut paene aut omnino careant, parvi aut nihili aestimandas esse censeam. Classes constituam. — Vim habent alliterationes ad sententiam ideoque aut multum aut aliquid saltem valent:

- I. Quae cum annominatione coniunctae sunt.
- II. Quae verbis efficiuntur significationis affinitate inter se iunctis et ad unam eandemque notionem facientibus.
- III. In quibus notionum oppositio cernitur. — Ne classes nimis multae fiant aut huic tertiae aut praecedenti classi adnumerabo exempla, in quibus alliterationem faciunt aut cum suo nomine abverbiove verbum aut nomen substantivum cum suo adiectivo.
- IV. Ubi multa in unam sententiam constructionemque coacervantur verba, quae sive omnia sive pleraque ab ea litera incipiunt, quae aut prima verbi primarii aut ea virtute efficacique est, ut ipso sono auribus sententiae quasi imago praebeatur.
- V. Quibus aut salse dictum aliquod aut solers verborum lusus continetur.

¹⁷⁾ Quae alliterationis, quam simplicem saepius diximus, exempla Cadenbachius in Horatii carminibus invenit, ea fere ad unum omnia aut nihili aut parvi facio. Pluris mihi sunt homoeoteleuta Horatii; sed de his alia loco dicendum videtur.

Quae mox sequentur exempla, ea ex ingenti exemplorum acervo delegi, quem Naekius congegit, atque non multa, quantum scio, omisi, quae hac vel illa ratione aliquid viderentur momenti habere. Alliterationis, quae prima litera sive etiam prima syllaba fit, Naekius MCCCIV exempla habet ex XXVI Plauti et Terentii Comitorum fabulis excerpta; — quantam exemplorum, tanquam inaniam, ego copiam reieci!

Primae classis exempla Naekius se exclusurum in exordio disputationis professus erat. Tamen quae proxime sequentur, immixta sunt, quae Naekius non observasse videtur: *Nimio opere sumat operam*. Curculio, IV. 1, 7. *Opere maximo dabamus operam*. Phormio, V. 1, 33. *Opiparas opera tua*. Poen. I. 1, 4. Duo similia non exscripsi. — *Libera lingua loquemur ludis Liberalibus*. Naevius ap. Festum, *modice et modeste*. Persa, III. 1, 18. *inmodestis-moderere moribus*. Curc. I. 3, 44. *manibus meritis meritam mercedem date*. Phorm. V. 8, 1. *parce parcum praedicas*. Aulularia, II. 4, 35. *placida et placatata*. Mercator V. 4, 4. *temere tintinnabulum*. Trinummus IV. 2, 162 (3, 7.) *victores victis hostibus*. Amph. I. 1, 33. *Viri freti virtute et viribus*, Amph. I. 1, 57. Plura exempla, in quibus *vir* et *virtus* composita sunt, non exscripsi. — *Videor vitam vivere*. Mil. III. 1, 34. — Nonnulla huius generis Naekius ipse notavit: *unice unum*. Bacch. II. 2, 29. *bene et benigne*. Poen. III. 2, 12. *dolum dolamus*. Mil. III. 2, 64. *gallus gallinaceus*. Aul. III. 4, 13. *victoria pax, non pactione, parienda est*. Cic. ad Planc. X. 6, 2. *sempiternam servitutem serviatur*. Pers. I. 1, 35. *scelestam servitutem serviunt*. Curc. I. 1, 40. V.

Classis secundae exempla multa occurrunt. — *Adeamus, appellemus*. Mil. II. 5, 10. *adibo atque appellabo*. Poen. V. 2, 22. *adi atque appella*. ibid. 32. *adire atque appellare*. Trin. IV. 3, 34. *Accedam atque appellabo*. Most. III. 1, 12. (ad haec cfr. Naek. p.

334.) *advocati atque amici*. Amph. IV. 3, 6. *amicus atque amator*. Truculentus, I. 2, 70. *per amicitiam et per amorem*. Andria II. 1, 26. *amabo atque amplexabo*. Poen. V. 4, 60. *armati atque animati*. Bacch. IV. 9, 18. *acria atque acerba*, ibid. 3, 15. *acerbo aceto*. Trucul. I. 2, 77. Similia duob. al. loc. — *oro obsecro*. Amph III. 2, 42. Similia quat. al. loc. — *obsecro, obtestor, oro*. Aul. IV. 9, 4, 5. *opportune te mihi offers*. Andr. IV. 2, 3. cfr. Hecyra, V. 3, 10. *occluso atque obsignato*. Epid. II. 3, 3. cfr. Cic. d. orat. II. 61. *restitant occurrunt, obstant, obstringillant, obagitant*. Enn. sat. II. ap. Non. — *oleum et operam*. Poen. I. 2, 119. *omnium vestrum ora atque oculos*. Cic. in Cat. IV. 1. cfr. pro Mil. 16. *bene ac beate*. Catull. 14, 10. 23, 15. — Sic saepe Cicero loquitur: *bene ac beate vivere*. — *cano capite*. Casina III. 1, 4. Similia trib. al. loc. — *compellare et complecti et contrectare*. Mil. IV. 2, 61. *clades calamitatesque*. Captivi, IV. 4, 3. *cito et cursim*. Poen. III. 1, 64. *cata est et callida*. Pers. IV. 4, 70. *docte et diligenter*. Capt. II. 1, 30. *falsum ac fictum*. Eunuchus I. 2, 24. *fabricam fallaciasque*. Mil. III. 3, 2. *bona, fausta, felix, fortunataque eveniat*. Trin. I. 2, 3. *o faustum et felicem diem*. Andr. V. 4, 53. *gloriam et gratiam*. Trin. II. 1, 36. Similia trib. al. loc. — „Haec fortius sonant, accedente ad alliterationem in primis literis homoeoteleuto.“ Naek. cfr. *mundiciis, molliciis*. Pseudolus, I. 2, 40. *luxuria et lascivia*. Heaut. V. 1, 22. *lacrimae, lamentatio*. Merc. V. 2, 29. *misere male mulcabere*. Bacch. IV. 9, 10. *morae molestiaeque*. Aul. IV. 1, 2. *maria montesque polliceri*. Sallust Catil. 23, 3. *nuperum et novitium*. Capt. I. 1, 46. *nutet, nictet, annuat*. Asinaria, IV. 1, 39. *proabri perlecebrae et persuatrices*. Bacch. V. 2, 27. *sator, sartorque scelerum*. Capt. III. 5, 3. *servitus, sutor, sitis*. Merc. IV. 1, 18. *stabulum, statumque, sellam et scribulum*. Poen. I. 2, 56. *supersit, suppetat, superstitet*. Pers. III. 1, 3. *Sana et salva sum*. Amph. II. 2, 98. Idem quinque

al. loc. — *salutem et sanitatem*. Merc. IV. 1, 13. *salvum et servatum*. Aul. IV. 6, 11. *salvum et sospitem*. Capt. IV. 3, 92. cfr. Rudens, III. 2, 17. *sospitem et superstitem*. Asin. I. 1, 2. *si sis sanus aut sapias satis*. Amph. III. 2, 23. *severum et serium*. Poen. V. 3, 51. *sollers, sicca, sana, sobria*. Afran. ap. Non. p. 21. *trahi et trudi*. Capt. III. 5, 92. *tectum et tegulas*. Rud. prol. 78. *temulentast et temeraria*. Andr. I. 4, 2. *vivit et valet; vivit, valet; valere et vivere; . . . „locis, quos taedet apponere.“* Naek. p. 376. *vivus vidensque*. Eun. I. 1, 28. cfr. Cic. pro Sextio V. 27. *vivus, ut aiunt, est et videns, cum victu ac vestitu suo publicatus*. — *victus, vestitus*. Heaut. V. 2, 15. *vae victis* (proverb. apud Festum) Pseud. V. 2, 19. *verum illud verbum—vetus*. Merc. IV. 4, 31.

— Tertiae classis pauciora. — *albus an ater*. Catull. 93, 2. *albus aterne*. lic. Philipp. II. 16. *blande dicere aut benigne facere*. Adelphi, V. 4, 24. *dicta docta pro datis*. Asin. III. 1, 22. *stulte facere et slulte fabularier*. Trin. II. 4, 60. *aquam ferventem, frigidam*. Curc. IV. 2, 25. *labore lassitudo*. Capt. V. 44. *nec lactem nec lanam*. Bacch. V. 2, 16. *memorem mones* Capt. I. 2, 88. cfr. Stich. IV. 1, 72. *quae memini, mora mera est monerier*. Capt. II. 3, 36. *neminem neque notum neque cognatum*. Eun. I. 2, 67. *Pol pudere quam pigere praestat*. Trin. II. 2, 64. *propere non placide*. Mil. II. 2, 65. *res publica et privata*. Curc. IV. 3, 20. *publicum privatum habent*. Trin. II. 2, 8. *siccam, succidam*. Mil. III. 1, 192. *Virtute dixit vos victores vivere*. Amph. prolog. 75. *ego vapulando ille verberando*. Adelph. II. 2, 5. *Verbum aut virgae*. Poen. prol. 18.

Classis quartae haec. *uno ore omnes omnia*. Andr. I. 1, 69. *omnia omnes semper optata offerant*. Adelph. V. 9, 21. *consilia consequi consimilia*. Heaut. I. 2, 35. *crepitu elangente cachinnat*. Attius ap. Non. p. 463, 16. *disperge hostes, distrahe, diduc, divide, differ*. Eun. ap. Merul. p. 354. *licet libere loqui*. Amph. I. 1, 237. *libere*

*loqui saepe occurrit. — mali moeroris montem maxumum. Most. II. 1, 5. magna modis multis miranda. Lucret. I. 727. multa minuta modis multis. ibid. II. 115. multa modis mutata. Ib. I. 1023. multa modis multarum. Ibid. VI. 789. — „multa modis multis — usitatum ac solemne Lucretio.“ Näck. — *Illic est nugator nihili, non nauci homo.* Ennium ap. Festum. s. v. *naucum.* — *pergam porro percontarier.* Most. IV. 2, 47. *pergam porro proloqui.* Trin. I. 2, 125. *progredi properabo; properans prosiliit; propere prolu; prodeat propere; peri perpropere.* Menaechmi, V. 2, 2. Eun. V. 7, 6. Curc. I. 2, 29. Cist. III. 8. *quod perdundum est, properem perdere.* Bacch. IV. 9, 16. *Perdidit, pessumdedit.* Bacch. III. 3, 3. *Des pacem propitius.* Merc. IV. 1, 12. *parce gnato pace propitius.* Merc. IV. 1, 14. *quantum, queam, queo.* Andr. III. 3, 45. *quid quaeque queant.* Curc. I. 1, 64. *Quid quaeque queat res.* Lucret. V. 546. *Sic isti solent superbi subdomari.* Asin. III. 3, 112. *solam—soli sibi suo.* Most. I. 3, 48. *sursum ad summum escenderes.* Mil. IV. 4, 14. *tacitus tacear tuto tecum.* Epid. V. 1, 44. *tot res, tantas, tam opportune.* Eun. V. 8, 17. Similia trib. al. loc. — *At tuba terribili sonitu taratantara dixit.* —*

Classis quintae denique haec inveni. *faciam ferventem flagris.* Amph. IV. 2, 6. *ferire malam male discit manus.* Amph. I. 1, 159. *a portu aporto.* Merc. I. 2, 49. *quo dolo dolorem pellerem.* Most. III. 2, 27. *Salve. LE. egon salva sim, quae siti sicca sum?* Curc. I. 2, 26. *scortum pro scuto.* Bacch. I. 1, 39. *salutem tibi ab sodali solidam.* Bacch. II. 2, 10. *sensim sine sensu aetas senescit.* Cic. Cat. mai. c. 11. *vi victa vis.* Cic. pro Man. c. 11. *Venerem veneremur.* Rud. II. 1, 16. *Voluptas, Venus, Venustas.* Bacch. I. 2, 7. *victus, vetus, veterinosus.* Eun. IV. 4, 21. *Vetulae, varicorae, vafrae.* Pomp. ap. Non. p. 143. *Viget, veget.* Varro ap. Non. p. 183. —

Cuiusmodi autem sint alliterationes, quas aut parvi aut nihili

facienda putem, vix est, quod pluribus exponam. Eae sunt, quae non habent, cur uni illarum quinque classium adnumerari possint. Taedet afferre exempla, in quibus bis vel ter eadem litera incipiens auditur, quin ulla syllabarum idem sonantium relatio ad sententiam sit. Ubi eadem litera eadem ratione saepius, adeo sexies septiesve redit, aures elegantiores putem aegre ferre tinnitum inanem talem, qualis est in hoc versu, qui notus est ex lib. ad Herenn. IV. 12.

O, Tite, tute, Tati, tibi tanta tyranne tulisti.

Quatuor satis habeo Plauti apponere exempla: *pater peculiam parvolum puero dedit* Capt. V. 3, 5 et V. 4, 16. *non potuit paucis plura plane proloqui.* Men. II. 1, 27. *perparvam partem postulat Plautus loci.* Trucul. prol. 1. *praepotentes, pulchrae, pacisque potentes.* Poen. V. 4, 9. *lib*

Nunc finem facturum huic opello, meminim, quid de alliteratione, quae sive in una postrema et altera prima syllaba est sive in mediis vocibus, sentiam, me nondum significasse. Paucissimis hanc rem absolverè possum. — Vilissimae sunt alliterationes in mediis vocibus, velut: *furtum, scortum; vinctum, addictum;* — aliquantulo plus valent illae, ubi syllabae primitivae idem sonant, velut: *efficiam officium;* — alliterationes vero, quae in una postrema et altera prima syllaba fiunt, ad solam aurium delectationem sunt referendae, quam utique parere possunt; equidem illas parvi facio, quum per naturam syllabae ultimae omnino nullam ad sententiam vim habere possint; sed fuerunt, quibus adeo talis literarum lusus placeret, ut mira huius generis artificia componerent. Insigne hoc e Cadenbachii saepius laudata dissertazione sumsi exemplum.

Te tero, Roma, manu nuda, date tela latete.
